

runt , honoris & virtutis clara specimina pariter dede-
runt : & præcipue erga Romanam Ecclesiam , cujus fuit
Generalis , ut dicitur , Commissarius , Verus Guadagni ,
una simul cum Jacobo Salviati , in Bello Neapolitano con-
tra Ladislaum Regem ; & tot tantasque victorias repor-
tarunt , ut Romam introeuntes , antiquorum triumpho-
rum pompas renovarent .

Hæc sunt Familiæ tuæ decora , quibus , & in patria ,
& extra ipsam , adeo Guadagnorum nomen elevatum est ,
ut in Gallia nobiliores Familiæ cum tua connubiali nexu
conjugi quam maxime concupierint ; & in Florentina
Republica quoque illustriores de eadem unione cum tua
omni tempore gloriatae fuerint ; & Ecclesia demum etiam-
num Beneficiorum a Proceribus tuis receptorum , cum
Guadagnorum nominis honore , recordetur .

Quod si ita est , justitiam oportet judicari ab omni-
bus Purpuram , qua Te Summus Pontifex ornavit , ut Ju-
dex quidem æquissimus honorum , qui in Ecclesia me-
rentur , & pro Ecclesia decertarunt ; quam ut Avuncu-
lus , qui in Te propriæ Sororis Imaginem recognoverit .
Tu vero ita pergis illius beneficentiam commendare , ut
in nullo videaris impar muneribus , quæ sustines ; quinim-
mo potius supra honores cunctos , quibus adornaris . Si-
quidem nec zelus Tibi deest in pontificia Vicaria autho-
ritate , quam sustines ; nec prudentia in te desideratur in
Præfecturiis Sacrarum Congregationum , quas exerces ;
nec doctrina in Confessibus aliis , quos cumulatissime im-
ples .

Patere igitur , *Princeps Eminentissime* , ut ultra de-
biti mei necessitatem , hoc quaecunque munus Tibi offe-
ram , in meritorum tuorum exiguam quidem , at ex corde
& ex jure , commendationem . Quod si ita efficere digna-
beris , non erit aliud , quod optem ; contentus quidem ,
quod Tu obsequii mei munus accipere velis , & me inter
Clientes vere tuos adnumerare .